

dendo che in questa parte tanto essenziale non viene in verum conto adempita la mente di si zelante Pontefice, non ostanti le pene di privazione di voce attiva, et passiva, sospensione dalle cariche, e dignità, e perpetua inabilità ad esse a Superiori *pro tempore*, a quali appartiene simile incombenza; è venuta in determinazione di ridurre a memoria di tutti i Superiori Regolari l'obbligo preciso, che loro ne corre, avvertendo di non tentare in avvenire fondazione alcuna, senza prima giustificare come sopra la sufficienza e sussistenza dell'entrate avanti la stessa Sacra Congregazione, sotto le pene enunciate, ed altre ad arbitrio della medesima.

Monsignor de Vico Segretario, che ne avanza la notizia al P. Procurator Generale, etc., per la dovuta esecuzione in ciò che concerne l'interesse della sua Religione, starà attendendo il riscontro in *scriptis* della ricevuta del presente viglietto, unitamente con la nota dell'ultima fondazione, specificando il giorno, mese, ed anno, in che segui, e di cuore lo riverisce.

Di Casa questo dì 23 Febbrajo 1717.

ADDITIONES EX ALIENA MANU.

(36. Requisita ad fundationem novi Conventus sunt Beneplacitum Apostolicum, licentia Ordinarii, consensus Parochi, tum Regularium qui sunt intra quatuor milliaria, et redditus sufficiens sustentationi duodecim Religiosorum.

(37. Quoad Beneplacitum Apostolicum censent nonnulli Doctores relati a Donato q. Regul. tom. 1, part. 2, tr. 1. q. 3, num. 4 et seq. quod dispositio Text. in cap. unic. de excess. Prælat. in 6. tum in cap. 1, § *Confirmato* de Religios. domib. eod. qua inducta est necessitas Apostolici Beneplaciti in fundatione novi Conventus, sublata fuerit a Concilio Trident. sess. 25, cap. 3, de regular. in fin. ubi sancitur, quod « nec de cætero similia loca erigantur sine Episcopi, in cujus Diocesi erigenda sunt, licentia prius ob-  
tenta. » At prævaluit contraria opinio, quod scilicet Sancta Synodus ex eo, quod mentionem dumtaxat habet de licentia Episcopi, nequeat dici derogasse requisito Beneplaciti Apostolici, ut pluribus allegatis firmavit Rota eor. Cels. dec. 60, num. 1 et 3. in Eysteten. Fundationis Hospitii, 10 Maii 1726, § *Contrarium*, cor. bon. mem. Gamach.

(38. Quæ Beneplaciti Apostolici necessitas locum sibi vindicat, etiamsi agatur de fundatione novi Conventus extra Italiam, eo ipso quod descendit a Sacris Canonibus, qui ubique gentium obligant, ut observant San. mem. Benedictus XIV. de Synod. Diocæs. lib. 9, cap. 1, num. 5. P. Girald. in Elenc. 6. Apost. Constit. *Quæ accesserunt*. Conc. Trident. num. 7. et Rota in Eysteten. Fundationis Hospitii, 10 Maii 1727, § *Quæ omnia*, cor. bon. mem. Gamach. ubi quod aliter dicendum esset, (39. si dicta necessitas descenderet a Constitutione incipien. *Instauranda* S. M. Innocentii X. utpote quæ non egreditur Italiam, Insulasque adjacentes.

(40. Potest vero Beneplacitum hoc Apostolicum ex intervallo accedere, modo tamen

in iudicium deducta haud sit nullitas fundationis novi Conventus; Rota in diet. Eysteten. Fundationis Hospitii, 10 Maii 1726, § *Frustraque*, cor. bon. mem. Gamach.

(41. Circa consensum Parochi, non importune quæritur, utrum is præstari debeat ab eo, qui obtinet curam habitualem, an ab illo, qui curam obtinet actualem. Præstandum esse ab obtinente curam habitualem tenuit Rota in diet. Eysteten. Fundationis Hospitii, 10 Maii 1726, § *Rursus*, coram bon. mem. Gamach. (42. Non omittendum vero, quod in ejus casu ille, qui obtinebat curam actualem, non erat perpetuus, sed amovibilis ad nutum. (43. At idem dicendum videtur, etiamsi ille qui curam actualem obtinet, sit perpetuus, nam et hic plus juris sibi asserere nequit quam simplex exercitium curæ, ut respondit Rota in Ariminen. Functionum super primo dubio 13 Junii 1746, § 2 et 6. coram bon. mem. Lancet. (44. Consensus autem, de quo agitur, non est præstandus ratione exercitii curæ.

(45. De mox dictis requisitis ad fundationem novi Conventus, nec inutilis est quæstio, an ea concurrere etiam debeant, si agatur de Regularibus illis, quibus in loco de quo agitur, jam competeat jus quæstuandi. Et affirmative respondit Rota in dicta Eysteten. Fundationis Hospitii, 10 Maii 1726, § *Nam quoad*, cor. bon. mem. Gamach. Hæc de fundatione novi Conventus.

(46. Quod autem attinet ad translationem Conventus, quidquid in utramque partem olim disputatum sit, indubia hodie res est, quod servandæ haud sint Constitutiones Apostolicæ loquentes de fundatione novi Conventus, si translatio fiat ob aliquam justam causam ad alium situm ejusdem loci, ut Sacra Congregatio Episcoporum et Regularium negotiis præposita censuit non solum in resolutionibus, allegatis ab Auctore n. 11 et 12. verum et novissime in Majoricen. 5 Aprilis 1734. ad secundum dubiam.

(47. Quinimmo nec Regulares habentes Privilegium, quod novi Conventus haud fundentur, nisi servetur certa distantia, opponere se possunt translationi Conventus ad alium ejusdem loci situm, ut rejectis Donato, Passerino, Pignatello firmat Matthæucci in Officiali Curia, cap. 16, num. 9. ubi allegat resolutiones mox dictæ S. Congregationis in Montis Regalis, 9 Junii 1741. et in Agrigentina, 28 Martii 1697.

ARTICULUS II.

*Quoad ea, quæ concernunt conventuum suppressionem, restitutionem et exemptionem.*

(1. Conventuum suppressionis et restitutionis notitia non melius ac verius potest hic tradi, quam juxta tradita a Fagn. in cap. *Relatum* 7. Ne Clerici, vel Monach. num. 41 et sequentibus, utpote qui et deputatæ Sacræ Congregationis Secretarius fuit et Constitutionum ad hoc editarum minutas confecit. Refert igitur quod Innocentius X, anno 1649, mense Martii instituit Congreg. nonnullorum S. R. E. Cardinalium, et Romanæ curiæ Præ-

latorum super statu, seu reformatione Regularium, in qua fuit primo deliberatum de præfigendo in singulis Monasteriis numero tot personarum, quot ex illorum redditibus absque penuria sustentari possent ad præscriptum Concilii Arelatensis cap. 8. relati in c. 1. de Instit. Conc. Trid. sess. 25. de Regularibus c. 3. et Constitutionum Apostolicarum. Atque ab omnibus unanimiter in eam sententiam itum est, ut fieret Constitutio, qua injungeretur Superioribus tam Generalibus, quam Provincialibus, et Localibus quarumcumque Religionum, ut infra terminum quatuor mensium transmitterent statum temporalem singulorum Monasteriorum existentium intra fines Italiæ et Insularum adjacentium ad Procuratorem Generalem suæ respectivæ Religionis in Urbe commorantem, qui una cum aliis Religiosis ad hoc deputandis præfigeret in unoquoque Monasterio eum tantum numerum, qui ex redditibus propriis, vel consuetis eleemosynis congrue posset sustentari, easque præfixiones infra alios quatuor Menses una cum statu cujusque Monasterii memoratæ Congregationi consignaret, et interim interdiceretur iisdem Superioribus, ne quemquam ad habitum, vel Professionem admitterent sub nullitate actus, et excommunicatione latæ sententiæ, donec præfixiones ut supra exhibitæ fuissent, et ipsi licentiam recipiendi Novitios ab eadem Cong. obtinuissent. (2. Unde mandatam fuit ipsi Fagn., ut minutam Const. conficeret, quæ postea per manus Cardinalium ac Prælatorum delata, et a Sanctitate Sua approbata, tandem edita fuit in hunc, qui sequitur, tenorem:

INNOCENTIUS PAPA X.

AD FUTURAM REI MEMORIAM.

§ 1. Inter cætera, quæ ad Reg. disciplinam instaurandam, conservandamque Sac. Trid. Syn. salubriter decrevit, illud semper præcipuum, et maximi momenti habitum est, quo injungitur, ut in singulis Monast. et Domibus Regularibus is tantum numerus constituatur, et in posterum conservetur, qui vel redditibus propriis Monast. vel consuetis eleemosynis commode possit sustentari.

§ 2. Quapropter ad ejus usum inducendum fel. rec. Clem. VIII, Paul. V et Urbanus VIII, Romani Pontifices prædecessores nostri, varia decreta ediderunt, sed quia nihilominus, sive ob injuriam temporum, sive ob superiorum incuriam, sive alias ob causas illius executioni lucusque protracta est non sine gravi Monasteriorum in spiritualibus et temporalibus detrimento ac Religionum jactura; ideo Nos nequaquam ignorantes quantum ex Monasteriis pie institutis et recte administratis in Ecclesia Dei splendoris, atque utilitatis oriatur, quantumque dignitati et commodo Ecclesiastici Ordinis detrahat multitudo Religiosorum quæ sine delectu supra vires Monast. in Religiones invehitur, ac proinde arbitrati valde acceptum Deo, sacrisque Religionibus proficuum fore, ut Decretum tam salubre debitæ executioni demandetur.

§ 3. De consilio nonnullorum Venerabilium Fratrum nostrorum S. R. E. Cardinalium ac dilectorum Filiorum Romanæ curiæ Prælatorum, motu proprio, ac ex certa scientia, et matura deliberatione nostris, deque Apostolicæ potestatis plenitudine tenore præsentium præcipimus et mandamus omnibus et singulis dilectis Filiis, Generalibus, Commissariis, Præsidentibus, Provincialibus, Ministris, Abbatibus, Prioribus, Præpositis, Præfectis, Rectoribus, Guardianis, Correctoribus, Vicariis, et quibuscumque aliis Superioribus Monasteriorum, Conventuum, Collegiorum, ac Domorum quorumcumque Monachorum ac Regularium virorum bona immobilia possidentium, vel non possidentium cujuscumque Ordinis Mendicantium vel non Mendicantium, Congregationis, Societatis, et instituti etiam necessari, et in individuo exprimendi existentium intra fines Italiæ et Insularum adjacentium, ut singuli ad quos pertinet, adhibitis duobus, vel tribus Regularibus sui Ordinis probatoribus, ac rerum usu peritoribus, bona immobilia, census, redditus ac proventus omnes Monasteriorum, Conventuum, Collegiorum ac Domorum Regularium hujusmodi (etiamsi sint hospitia, vel ab alio Monasterio dependant, sintve illius Granciæ, seu membra), sex annorum immediate præcedentium habita ratione, ac detracto omni eo quod grandines, sterilitates, reparationes, et alii casus hujusmodi, absorbere solent, consuetas item eleemosynas, et obventiones, item victus, vestitus, ac medicinalium, et alias quascumque tam ordinarias, quam extraordinarias expensas, aeris quoque alieni, nec non Missarum celebrandarum, Fabricæ, Sacristiæ, annuarum præstationum, contributionum ac procurationum, aliave, ejusque generis onera diligenter ac mature cognoscant, eaque omnia in scripturam redigant exprimentes illius Monasterii titulum, seu denominationem, item capacitatem ac situationem, videlicet in qua Diocesi, et an intra mœnia Civitatis, vel oppidi, anve in pagis, seu villis, vel in sylvis, aut nemoribus, et quantum distet a locis frequentibus et populosis; item a quo tempore fundatum fuerit, quave auctoritate, et cujus sumptibus, anve, et a quo numerus Religiosorum in eo fuerit alias præfixus, et quot ibi Religiosi, et servientes in præsentem degant, specificatis uniuscujusque nomine, cognomine et patria scripturamque sic confectam propria manu subscribant, medio juramento attestantes vera esse omnia, quæ in ea continentur, consuetoque sigillo obsignatam infra quatuor menses a publicatione præsentium in hac Alma Urbe nostra ut infra dicenda computandos, transmittant, seu consignent Procuratori Generali sui Ordinis in Urbe commoranti, qui una cum aliquibus gravioribus Religiosis a Congregatione prædictorum Cardinalium et Prælatorum ad hoc specialiter deputandis, negotio mature perpenso, ac computatis hujusmodi redditibus, eleemosynis et obventionibus universis, atque oneribus ut supra detractis sedulo examinent,

quot Religiosi homines, connumeratis etiam Laicis, aliisque necessariis servientibus in unoquoque Monasterio, Conventu, Collegio et Domo Regulari, quamvis (ut præmittitur, sit Hospitium, seu alterius Monasterii membrum) juxta proprii Instituti morem, victum et vestitum, ac medicinalia in communi habentes, commode valeant sustentari; omnibusque diligenter discussis, familiæ cujuscumque Monasterii, Conventus, Collegii ac Domus Regularis hujusmodi in qualibet Provincia, vel Congregatione, certum earum tantum Personarum numerum præfigat, quæ redditibus, eleemosynis et obventionibus ut supra competenter ali possint, easque numeri præfixiones una cum originalibus scripturis super statu cujusque Monasterii ac Domus Regularis, a Superioribus, ut præfertur, confectis infra alios quatuor menses eidem Congregationi Cardinalium, ac Prælatorum exhibeat, ut ab ea recognoscantur et approbentur.

§ 4. Quod si memorati Superiores ac Procurator Ordinis intra præfixum terminum prædicta adimplere neglexerint, privationis vocis activæ et passivæ, nec non officiorum, quæ tunc temporis obtinebunt, et inhabilitatis ad illa, vel alia in posterum obtinenda perpetuam pœnam eo ipso absque alia declaratione incurrant, rehabilitatione Nobis et Sedi Apostolicæ reservata.

§ 5. Interea vero prohibemus et interdiciamus omnibus, et singulis Capitulis, et Congregationibus Generalibus, et Provincialibus, et Conventualibus, nec non Superioribus tam Generalibus, quam Provincialibus, et Localibus antedictis, ne deinceps quemquam ad habitum suæ Religionis recipiant, nec jam receptos, aut in posterum contra hujusmodi prohibitionem forsitan recipiendos ad Professionem admittant, donec scripturæ prædictæ, ac præfixiones numeri familiæ cujuscumque Monasterii ac Domus Regularis hujusmodi, eidem Congregationi Cardinalium et Prælatorum realiter, et cum effectu fuerint exhibitæ, ac deinde memorati Superiores licentiam recipiendi ad habitum, et Professionem ab eadem Congregatione obtinuerint. Alioquin receptiones tam ad habitum, quam ad Professionem aliter factæ, sint ipso jure nullæ, nullamque inducant obligationem ad Religionem in specie, vel in genere, aut ad alios quoscumque effectus.

§ 6. Nihilominus contravenientes sententiam excommunicationis incurrant, a qua per alium, quam per Nos, et Romanum Pontificem pro tempore existentem, nisi in mortis articulo constituti absolvi non possint.

§ 7. Non obstantibus quo ad præmissa omnia, et singula Constitutionibus et Ordinationibus Apostolicis in favorem quarumcumque personarum atque Ordin. tam Mendicantium, quam non Mendicantium, Congreg. Societatum, et cujusvis alterius Instituti, etiam Societ. Jesu, et Monasteriorum, Conventuum, Collegiorum, Domorum ac Locorum Regularium quorumcumque, nec

non illorum etiam juramento, confirmatione Apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis, statutis vel consuetudinibus etiam immemorabilibus, exemptionibus quoque, indultis et privilegiis etiam causa et titulo oneroso, vel in limine foundationis, etiam in Mari Magno, seu bulla aurea, aut aliter nuncupatis, seu quibuscumque tenoribus et formis; et cum quibusvis etiam derogatoriis derogatoriis, aliisque efficacioribus, et insolitis clausulis, nec non irritantibus Decretis etiam motu proprio, et ex certa scientia, ac de Apostolicæ potestatis plenitudine, etiam ad Imperatoris, Regum, seu aliorum Principum instantiam, aut alias quomodolibet etiam per viam communicationis, seu extensionis concessis, et iteratis vicibus approbatis et innovatis. Quibus omnibus, et singulis quoad ea quæ præsentibus quomodolibet adversantur, etiamsi pro illorum sufficienti derogatione de illis eorumque totis tenoribus et formis specialis et individua, et de verbo ad verbum, non autem per clausulas generales idem importantes, mentio, seu quævis alia expressio habenda, aut quævis alia exquisita forma servanda esset, tenores hujusmodi ac si de verbo ad verbum, nihil penitus omisso, et forma in illis tradita observata inserti forent, præsentibus, pro expressis habentes, illis alias in suo robore permansuris, specialiter et expresse derogamus, cæterisque contrariis quibuscumque.

§ 8. Volumus autem, etc.

§ 9. Quodque earumdem præsentium transumptis, etc.

Datum Romæ apud Sanctam Mariam Majorem sub Annulo Piscatoris die 17 Decembris 1649, Pontificatus Nostri Anno sexto.

(3. Constitutione publicata, ad faciliorem illius executionem confecta est formula typis excusa, et ad Superiores cujusque Monasterii transmissa, in qua Italico idiomate tamquam in tabula monstratum est, quo ordine, quæ ratione describendus sit cujusque Monasterii status. Hinc infra terminum octo mensium in prædicta Constitutione præfixum Regulares omnes, cujusque Ordinis et Congregationis, Societatis et Instituti, ea qua decet obedientia paruerunt; nam ex omnibus Italiæ Provinciis et adjacentium Insularum exhibitæ fuerunt scripturæ originales statuum singulorum Monasteriorum continentis, subscriptæ ac juramento firmatæ una cum Summario reddituum, expensarum ac præfixione familiæ uniuscujusque Monasterii. Post hæc Prælati ipsius Congregationis designati Religionum plene retulerunt illarum statum in genere, et singulorum Monasteriorum in specie, juxta methodum per manus delatam.

(4. Cum vero ex hujusmodi relationibus compertum esset multas Religiones constare ex quamplurimis Conventibus, in quibus ob reddituum tenuitatem actu non alebantur, nec ali poterant tot Religiosi, quot sufficerent ad observantiam Regularis disciplinæ, idcirco in pluribus sessionibus mature deliberatum fuit de illorum suppressione, ac

reddituum applicatione; et facta Sanctissimo relatione, Sanctitas Sua probavit Congregationem, et d. Fagnanum ipsius Congregationis Secretarium deputavit die 22 Julii 1652, qui pro rei magnitudine transmisit per manus Cardinalium ac Prælatorum distinctis vicibus dubia supra sexaginta, quæ in Congregationibus habitis de mandato Sanctissimi per singulas hebdomades fuerunt accurate discussa; ex quorum resolutionibus conflata est materia pro compilanda Bulla desuper edenda. Et cum d. Fagnano similiter demandata esset provincia conficiendi illius minutam, et illa confecta, et Sanctissimo delata, ab ipsoque mature considerata, atque de ejus mandato Cardinalibus et Prælatibus consideranda, et in plena Congr. discutienda et examinanda, tradita, ab ipsisque unanimi consensu approbata, mox Sanctitatis Suæ jussu fuit, et locis publicis affixa Constitutio incip. *Instaurandæ Regularis disciplinæ*. Vide ipsam supra Art. 1, n. 5.

(5. Hinc biduo post publicationem Bullæ Sacr. Congregatio dedit Literas ad singulos Superiores Generales Religionum in Curia existentes, in quibus nominatim expressit parvos Conventus in illa Religione suppressos, ut sic satis fieret illis verbis Bullæ: « In literis ab eadem Congregatione propediem expediendis nominatim exprimendos. » Et subinde die 10 Decembris ejusdem anni 1652, scripsit Litteras circulares cum insertionem Bullæ impressæ ad unumquemque Episcopum, in Italia, et insulis adjacentibus, in quibus primum expressit itidem nomina Conventuum suppressorum in illa Diœcesi, ac deinde ipsi Episcopo commisit, ut una cum Capitulo suæ Cathedralis ad præscriptum Bullæ referret, quibus piis usibus existimaret esse applicanda bona cujusque Conventus suppressi, præcipuamque rationem haberet tenuitatis Parochialium, deputationis Coadjutorum pro cura animarum, et Capellanorum pro Missis celebrandis, item manutentionis Seminarii, Hospitalium, Monasteriorum Monialium, et consimilium.

(6. Has autem relationes ab Episcopo, et Capitulo subscriptas, obsignatasque ad Sac. Congregat. transmissas, atque ubi oportuit emandatas, Sanctitas Sua ad se relatas approbavit, executionique mandari, et in Cancellaria Episcopali registrari præcepit, moxque Decreta hæc applicationis ac partitionis bonorum una cum Literis ipsius Congregationis ad singulos Episcopos transmissa fuerunt; et sic pariter satisfactum fuit verbis Bullæ, ibi: « Bona hujusmodi applicamus, et applicata esse decernimus, et declaramus piis usibus in eisdemmet locis, ubi siti sunt Conventus, iisque non indigentibus, in aliis locis ejusdem Diœcesis juxta designationem et partitionem, quam eadem Congregatio singulorum Episcoporum cum suis Capitulis, sententia prius audita, et plena totius negotii relatione habita, de mandato nostro faciet in suis Literis ad eosdem Episcopos scribendis, » etc.

(7. Quia vero in d. Bulla, *Instaurandæ*, comprehenduntur non modo parvi Conventus, sed etiam Granciæ, seu alterius Monasterii membra, licet Curam animarum habeant annexam: idcirco de mandato Sanctitatis Suæ datae fuerunt Literæ, tum ad Superiores Generales cujusque Religionis in Curia existentes, tum ad singulos Episcopos in Italia et Insulis adjacentibus, in quibus nominatim exprimuntur hujusmodi Granciæ, (8. et membra, et mandatur Episcopis, ut Regulares Sacerdotes in eis habitare non permittant, sed pro custodia et administratione bonorum deficientibus personis sæcularibus idoneis, sinant Regulares, uti opera suorum Conventuum; (9. cum hoc tamen, ut in earum Cappellis Missæ juxta solitum celebrentur saltem diebus Festis per Sacerdotes sæculares, aut etiam per Regulares, qui tamen in eis non pernoctent. (10. In Curatis vero, seu Parochialibus non permittant Curam animarum exerceri per Regulares, sed ad id deputent Sacerdotes Sæculares idoneos in Vicarios perpetuos, vel amovibiles a Superioribus Regularibus nominandos, cum congrua fructuum portione ipsius Episcopi arbitrio assignanda ad præscriptum S. Concil. Trid. cap. 7, ff. 7. et reliqua ipsarum Granciarum, seu Parochialium bona Monasteriis principalibus dimittant. (11. Et in hac dispositione Granciarum, et Parochialium Sanctitas sua declaravit comprehendendi etiam Canonicos Regulares Lateranenses, quos noluit extra claustra degere pro Cura animarum exercenda, non obstante dispositione cap. *Quod Dei timorem*, de stat. Monach. et in hanc sententiam scriptæ fuerunt literæ ad complures Episcopos.

(12. Quoniam vero in eadem Bulla *Instaurandæ*, sub gravibus pœnis præcipitur Superioribus Regularibus, ut infra terminum sex mensium inchoandum a die præsentationis Literarum suppressionis Conventuum dimittant illorum possessionem corporalem realiter, et cum effectu coram Ordinariis locorum sub testimonio publico, et nihilominus reservatur ipsi Congregat. facultas conservandi Religionibus, aliquem ex Conventibus expressis in memoratis Literis, si hoc ex aliqua rationabili causa expedire judicaverit: propterea infra terminum sic præfixum Superiores Religionum fere omnium supplicarunt SSmo pro conservatione, seu Restitutione plurimorum Conventuum, et ex illis Sanctitas sua multos reduxit ad primævum statum regul., ac Religionibus restituit, quos scilicet ex publicis documentis, et Episc. attestationibus cognovit habere sufficientes redditus pro alendis Religiosis in numero competenti, et populis esse valde utiles in Missis, et Divinis officiis celebrandis, et Confessionibus audiendis, et præsertim in locis ubi non sunt alii Regularium Conventus.

(13. Præterea cum Superiores Regulares de jure facultatem non habeant uniendi Ecclesias etiam sibi pleno jure subjectas, ut post Innoc. et Abbat. Antiq. in c. *Sicut unire* de excess. Prælat. not. Gl. in Clem. *Ne in agro* § ad hæc in verb. *Ordinarios*, de stat. Monach. quando accidit casus, ut in eadem

Civitate vel Oppido suppressi fuerint duo parvi Conventus ejusdem Religionis, ad supplicationem Regularium, Sanctitas sua univit minorem Conventum cum omnibus ejus bonis Conventui majori. (14. Sed tamen jussit vendi domum Conventus uniti infra terminum sex mensium, et pretium inde retractum investiri in tot bonis stabilibus ad utilitatem alterius Conventus, ut sic Fratibus adimeretur occasio redeundi ad Conventum minorem, ibique minus religiose vivendi cum dedecore sui Ordinis.

Rursus quia interdum accidit casus, ut una Religio, puta S. Dominici, haberet Conventum in aliquo loco, in quo alia Religio, puta S. August. habebat Conventum suppressum, et e converso Religio S. Augustini haberet Conventum in alio loco, in quo Religio S. Dominici similiter habebat Conventum suppressum: oblata fuit Superioribus facultas faciendi inter se reciprocas uniones, et permutationes dictorum Conventuum, ita ut Conventus S. Augustini suppressus uniretur Conventui S. Dominici ejusdem loci, et vice versa Conventus suppressus S. Domin. uniretur Conventui S. August. alterius loci. Sed tamen sive ob angustiam temporis, sive ob diversitatem Diocesium, et Provinciarum, sive ob raritatem dictorum casuum, sive ob inæqualitatem permutationum, vel aliam ob causam, Religiones in his non convenerunt, et negotium evanuit.

(15. Porro ut in illis Conventibus, qui ut supra Religionibus fuerunt restituti, et in aliis non habentibus numerum sex Religiosorum vivatur cum debita observantia, Sanctitas sua subiecit illos omnimodæ jurisdictioni Ordinarii loci tamquam Sedis Apostolicæ delegati, ut in Decreto, cujus tenor est infrascriptus, videlicet

« Ut in parvis Regularium virorum Conventibus a Sanctiss. D. N. Innoc. PP. X. in Const. quæ incipit, *Instaurandæ*, primum suppressis, ac deinde ad ipsius Constitutionis limites ob rationabiles causas in pristinum statum Regularem restituti, et ipsis Religionibus denuo concessis, pie, et religiose vivatur, ac Regularia instituta quo exactius fieri potest, observentur: Sanctitas sua ex sententia Sacræ Congregationis super statu Regularium omnes, et singulos Conventus hujusmodi sic, ut præfertur, restitutos, et concessos, in Literis ab eadem Sac. Congr. expediendis nominatim exprimendos, ac personas tam Regulares, quam sæculares in eis degentes visitationi, correctioni, et omnimodæ jurisdictioni Ordinarii loci, tamquam super hoc a Sede Apostolica delegati, presentis Decreti tenore plene in omnibus subiecit, ac subditos esse declaravit. donec ipsorum redditus eoque adaucti fuerint, ut in eis commode sustentari valeant, et cum effectu sustententur duodecim Religiosi ad Apostolicorum Decretorum præscriptum, idque eidem Congregationi legitime constituerit, et ejus decreto in singulis contingentibus casibus declaratum fuerit, et non aliter. (16. Interea vero voluit Sanctitas sua, ut in eorum singulis ali debeant, et re ipsa

alantur sex saltem Religiosi probatæ vitæ, ex quibus quatuor ad minus sint Sacerdotes maturæ ætatis; alioquin gratia restitutionis, et concessionis hujusmodi nulla sit, et invalida, et Ordinarii locorum in illis Conventibus exequi possint, ac debeant ea omnia, quæ in aliis Conventibus itidem suppressis per eandem Constitutionem ipsis demandantur, perinde ac si gratia restitutionis prædictæ, et concessionis non emanasset. (17. Insuper quia multi sunt Conventus, in quibus etsi præfixus fuerit numerus Religiosorum sufficiens ad observantiam Regularis disciplinæ, et idcirco in suppressione antedicta non fuerint comprehensi; nihilominus sive ob reddituum diminutionem, sive ob Superiorum incuriam, vel malam administrationem, sive ob carentiam Religiosorum, aut aeris intemperiem, vel quacumque aliam ob causam prædictus numerus cum effectu in eis non alitur cum gravi detrimento Regularis observantiæ: Sanctitas sua intendens huic malo remedium adhibere, omnes et singulos ejusmodi Conventus, ut præfertur, non suppressos, cujuscumque sint Ordinis, tam Mendicantium, quam non Mendicantium, Congreg. et Instituti, etiam Soc. Jesu, aut Granciæ, seu membra alterius Monasterii, existentes intra fines Italiæ, et Insularum adjacentium, in quibus nunc non aluntur, vel quandocumque actu non alantur saltem sex Religiosi itidem probatæ vitæ, quorum ad minus quatuor, ut supra, sint Sacerdotes maturæ ætatis, eidem visitationi, correctioni, et omnimodæ jurisdictioni Ordinarii loci similiter ut Sedis Apostolicæ delegati plene in omnibus presentis pariter Decreti vigore subiectos esse statuit, decrevit, et declaravit. (18. Cæterum quoad Conventus cum pauciori numero, quam duodecim Religiosorum, erectos post diem 21. Junii 1623, et illorum subjectionem loci Ordinario, Sanctitas sua voluit, in suo robore permanere Decr. S. M. Urbani VIII, jussu editum, cui per præmissa aliquatenus derogare non intendit. Et prædicta omnia, et singula in presentis Decreto statuta, et ordinata, voluit, plenarium sortiri effectum, et executioni mandari, non obstantibus omnibus, et singulis, quæ in antedicta Constitutione voluit non obstare, cæterisque contrariis quibuscumque.

« Datum Romæ die 10. Februarii 1634.

« B. Card. Spada.

« Loco † Sigilli.

« Prosper Fagnanus S. Congr. Secr. »

(19. Et hoc Decretum illico transmissum fuit ad quemlibet Episcopum una cum Literis Congreg. continentibus nomina Conventuum Religionis suæ restitutorum in illa Diocesi. At quia occasione talis Decreti, *Ut in parvis* plures controversiæ oriebantur, ad eas sedandas fuerunt in Sac. Congregat. infrascripta dubia proposita, ut sequitur.

(20. Posito Decreto felicis record. Innocentii Papæ X, super subjectione nonnullorum Conventuum correctioni, visitationi, et om-

nimodæ jurisdictioni Ordinarii loci, tamquam Sedis Apostolicæ Delegati, contingit dubitari de infrascriptis.

« 1. An Episcopus in Conventibus suæ Jurisdictioni subiectis possit Abbates, Priores, Guardianos, et alios Superiores locales deputare, et familiam constituere?

« 2. An possit Episcopus a prædictis Conventibus Religiosos amovere?

« 3. An Regulares eorumdem Conventuum compelli possint ab Episcopo ad exhibendos libros introitus, exitus, et reddendas rationes administrationis.

« 4. An Episcopus in eisdem Conventibus se ingerere possit in his, quæ Regularem disciplinam concernunt.

« 5. An Ecclesiæ dictorum Conventuum, et Capellæ Granciarum, in quibus degunt Conversi pro agrorum cultura, ab Episcopo visitari possint?

« 6. An ipsæ Granciæ et Conversi in eis degentes subsint visitationi Episcopi?

« 7. Quid in Ecclesiis, seu Capellis Granciarum, in quibus nullus degit Conversus, an similiter subsint Episcopi visitationi?

« 8. An liceat Episcopo visitare Conventus tam suppressos, et postea restitutos, quam non suppressos, ad effectum cognoscendi an in illis re ipsa alantur sex Religiosi?

« 9. An Episcopus visitans hujusmodi Conventus suæ jurisdictioni suppositos, aut personas in eis degentes, possit visitatis procuratorem exigere in victualibus, vel in pecunia.

« 10. An jurisdictioni Ordinarii locorum, tamquam Sedis Apostolicæ delegatis, attributa in supradicto Decreto, competat Vicariis Generalibus Episcoporum, nec non Abbatibus, et aliis inferioribus Prælatibus proprium Territorium ac jurisdictionem quasi Episcopalem habentibus?

« 11. An Provinciales et alii Superiores Regulares possint ejusmodi Conventus, jurisdictioni Ordinarii subiectos, et Religiosos in illis degentes visitare, corrigere, et punire, omnemque jurisdictionem in eos exercere, sicut poterant ante dictum Decretum?

« 12. Si Superior Regularis in causa prævenerit contra subditum degentes in aliquo ex eisdem Conventibus Ordinario subiectis, fabricando processum, vel eum carceri mancipandum, an Episcopus possit hujusmodi causam reassumere, ac Superiori inhibere?

« 13. Si e converso Episcopus prævenerit in causa contra Religiosum in tali Conventu commorantem, an Superiori Regulari eo casu liceat illum amovere, et in alio Conventu collocare; et si de facto collocaverit, an nihilominus Episcopus possit causam prosequi, ac Religiosum sic amotum revocare ad primum Conventum?

« 14. Si Provincialis vel Superior localis voluerit aliquem ex Fratibus a tali Conventu amovere, an Episcopus prohibere possit?

« 15. Si a Conventu primum suppresso, ac deinde Religioni restituto, absint ex aliqua rationabili causa, et ad breve tempus, unus, vel plures, ex numero sex Religiosorum ibi

degentium, an gratia restitutionis sit nulla, et Conventus remaneat suppressus, ut prius?

« 16. Quid si a Conventu non suppresso similiter ex causa rationabili, et ad modicum tempus absit aliquis e sex Religiosis ibi existentibus, an durante tali absentia, Conventus subiaceat jurisdictioni Ordinarii?

« 17. An Religioso illo redeunte, vel alias impleto numero sex Religiosorum, Conventus recuperet pristinam exemptionem?

« 18. Si gratia restitutionis Conventus suppressi reddatur nulla, ex eo quod in illo ad formam Decreti cum effectu non alantur sex Religiosi, et postea contingat ut ejusmodi numerus impleatur, an gratia restitutionis Conventus reviviscat?

« 19. Ad hoc ut gratia restitutionis sit nulla, et Conventus denuo remaneat suppressus, propterea quod in eo non sustententur sex Religiosi, an debet præcedere declaratoria Episcopi super facto, prævia causæ cognitione?

« 20. An ab hujusmodi declaratoria liceat Regularibus ad Sedem Apostolicam appellare ad effectum tum devolutivum quam suspensivum?

« 21. Cum ex Decreti præscripto quatuor Sacerdotes in his Conventibus degentes debeant esse maturæ ætatis, quænam dicatur ad hoc effectum ætas matura?

*Sacra Congregatio super statu Regularium ad singula dubia superius proposita hunc in modum respondit, videlicet:*

« Ad 1. Non posse.

« Ad 2. Posse ex rationabili causa: communito tamen prius Superiori Regulari, ad quem pertinet, ut eosdem Religiosos assignet in aliis Conventibus.

« Ad 3. Posse compelli.

« Ad 4. Posse.

« Ad 5. Posse.

« Ad 6. Subesse.

« Ad 7. Item subesse.

« Ad 8. Minime licere, antequam aliunde constet de fundamento intentionis Episcopi in deficientia numeri constituti.

« Ad 9. Expedire ut Sanctissimus Dominus Noster decernat, et declaret, non licere Episcopo tales Conventus visitanti quidquam accipere procurationis nomine.

« Ad 10. Competere.

« Ad 11. Posse sicut prius, non tamen privative ad Episcopum.

« Ad 12. Non posse, nisi ex justa causa, veluti cum videt Superiorem Regularem ex odio, vel amore, cupiditate, vel metu aut ex nimia severitate, vel indulgentia, quid durius, aut remissius constituere, quam causa deponit, in quod ipsius Episcopi conscientia oneratur.

« Ad 13. Non licere Superiori Regulari Religiosum ab Episcopo inquisitum a loco amovere, et si amotus fuerit, posse Episcopum causam prosequi, et illum quibuscumque remediis revocare, etiam invocato auxilio Ordinarii, et brachio Sæculari, si opus